



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 64. Obsidione interrupta, arcem circumvallare Buccicaldus jubetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

§. XIV.

*Marescallus obsidione dilata arcem
circumvallare iussus.*

Pontifex præfidiariis militibus fame propemodum consumptis, vix non obsidentibus in prædam cessisset, nisi aliunde ad Principum preces alia subiisset rerum facies. Dum enim Bituricensis Dux nupera Avenionensi legatione offensus, tanto odio ferebatur in Benedictum, quanto olim favore Clementem profectus fuerat, Dux Aurelianensis, qui Burgundiæ, ac Bituricum Ducibus continuo studio adversari intentus erat, pro Benedicto intercessit, cui etiam preces suas junxit Martinus Aragoniæ Rex, qui missis ad Carolum VI. Legatis declaravit, quod Pontifex causæ suæ merita unice Regis arbitrio relinquere, ac in omnibus ejus beneplacito parere paratissimus esset. Igitur Rex Galliæ horum deprecatione motus Mareschallo Bucicaldo præcepit, ut obsidione soluta arcem,

arcem, quamdiu cum Benedicto de pace tractaretur, cinctam ita teneret, ut, quamvis nemini exire liceret, omnem tamen necessarium com meatum invehī permitteret.

Narrant quidam Historici, a Rege Arragoniæ classē, ut succurreret Benedicto, instructam fuisse, sed quia Rhodani alveo nimium depresso, Avenionem appellere non potuit, Rex pactionibus Papam liberare tentaverit, tantaque dexteritate ejus Legati rem gesserint, ut Benedictum licet ægre admodum, tandem tamen eo induxerint, ut se cessurum pollicitus esset, si æmulus vel cesserit, vel mortuus aut depositus fuerit. Præterea fidem dat, præsidiarios quoque arcis milites se dimissurum, reservata centuria pro corporis sui securitate, denique pari militum numero Concilio, si quod celebraretur, se interfuturum promisit.